


ET FACULTATIBUS. IOI

erit ; refrigeratum oleum colo per-  
coletur ; salis albi optimè contriti  
uncia indatur , & garyophyllorum  
contritorum æqua portio , ad dra-  
chmas duas, & obturato vase ad usum  
recondito, loco frigido & sicco. Vas  
verò sit figulinum, liquido vitro ob-  
linitum. De oleo igitur sufficiat,  
quod dictum est hucusque.



DE SALE VI.  
*perino.*

CAP. XXV.

**S**AL viperinus, eadem fe-  
rè promittit, si cum ob-  
soniis assumatur, quæ ca-  
ro viperina præstare pos-  
sit, ex quo sale accidit nonnunquam  
squamas, seu scabiem quandam ex  
cute elephanticorum decidere. Aë-  
tius sermone 13. cap. 123. utique asse-  
rebat elephanticos adintegrum The-  
riacis salibus, eos quotidie ex liqua-

mentis ad intinctus exhibentes una cum obsoniis, curatos. Hi certè tùm sapore, tùm odore gratissimi sunt. Ad hoc præparandum majores perfectas vipersas, sicut in theriaca conficienda, optimè Auctores conquirunt. Quare hi, qui parvas & incompletas admittunt, in præparandis quibusvis medicamentis malè faciunt, At in cibis, seniorum præcipuè, recipiendas esse judicabimus, ob nutrimentum, quod non ita siccum futurum est. Salis hujus theriaci conficiendi ratio apud antiquos non una tantùm fuit. Galenus lib. ii. simpl. Med. innuere videtur, nec ejus loci esse exactè explicare, seorsim tamen multis in locis meminit libr. de Subfiguratione empyrica, ubi testatur sale m theriacum vulgo conficere capisse, propterea omisam descriptionem arbitramur, quàm Auctor ad Pisonem cap. ultimo tradiderat, unde posteriores hauserunt. Hoc sale viperino omnes mensas antiquos

exornasse, quilibet censeret, & quoniam vitam longitudinem, & à morbis præsertim, curationemque ad ejus usum acceptam referebant antiqui, uti apud Aëtium sermone satis longo 23. cap. 97. satis longo patet, apud Paulum lib. 7. qui ex aliis transcripsit; sed hoc modo parari solebat ex viperis, & ad omnia quæ exarata sunt, utile admodum esse comperitur; quæ per frequentem usum, ac magis efficacem imprimuntur, quamquam violenter agant: propterea nonnulli sunt, qui eorum vim & facultatem per adustionem dissipari velint, & pervicaciter contendunt; at Aëtius medicorum consensu, de remedia tam benè meritis, eandem vim, quam ante adustionem possidebant ingredientia sales theriacos, retinere constanter affirmat, nec facultatem rerum per ignem perire credidit, cum multa sint, quæ igne reparatorio multò meliora reddantur. Viperæ integræ usæ vivæ, ut Gal.



lib. de Subfiguratione empyrica docuit, in tantam illam malignitatem deponunt, per exustionem. Temperamentum autem ab igne quorundum, & symmetriam augeri non est inficiendam, sed propriè gravissimis cutis affectionibus sales conceduntur, cujus generis sunt leuce, lepra, defluuium capillorum, & alia cutis vitia confestim delent, & acria incrementa subter cutim redundantia optimè discutiunt, plerisque enim eorum usu sudor prolicitur, atque ita per exudationem corrupta substantia evacuatur, adeò ut quidam in principio pediculos excluderint, infra 14. dies ad summum; post hos qui intus increati erant, extrusa materia tantum evanere; quidam sputa pituitosa, crassa rejecerunt. Licet autem tum in prandio, tum in cæna his salibus uti, cum quibuscunq; eduliis accipere velit; tanta in ipsis est suavitas insita, ut magis voluptatis gratia confectos diceret. Licet igitur ad

tria

tria cochlearia per diem ex eis fumere; maximè si cibus in ventre prius probè concoctus fuerit; quia eos interdum sales accipiunt, ut melius conquire possint, & cibi appetentiam sentiant, floridius corpus haberent, & sensus omnes vegetiores. Suffusiones igitur incipientes & nondum congelatas egregiè dissolvunt, neque planè quis in suffusiones incurret, qui eos aliquoties accipiunt. Purgationes menstruas, propter obstructiones, aut sanguinis coagulationem, congelationesque seu obserositatis paupertatem suppressas cient. Idem sales largum profluvium mensium sistunt. Qui autem eos præsumpserit, is venenorum vim, & virus omnium bestiarum, & insidias, & pericula evincet, neque etiam cum infectus fuerit postea, statim sales accipiet, periculum incurret, maximè si corporis sui habitum per horum salium usum antea contractum præparaverit, quemadmodum Mithrida-

tem Regem fecisse dicunt. Præstat in statu pestilentia, ad hoc auxilium morbi depulsorium, & præcipuum remedium confugere, præsertim si ei Myrrhidem herbam immiscueris. Morborum præterea omnium medici sales existunt, præcipue eorum, qui in renibus sunt affecti: lapidem enim in eis atterunt, & planè marcidos in integrum restitunt. Vertigini, & dolori capitis inveterato, comitialique morbo, nulla alia confimilis medela exhiberi potest, si quis eos per integrum ex ordine assumat. Novi arquatos diuturnos, splenicos, colicos, qui frequenter in hanc affectionem incidunt, per hos sales sanatos fuisse; Hydropem maxime universalem, & inter cutim aquam per eorum usum exiccari, & bovinam famem dissolvi, & tusses humentes, & tabidos mirabiliter ad bonam habitudinem reducere paulatim, si cum eduliis utantur. Exolutos & languentes profectò reviviscere faciunt,

mem-



membris penitus resolutos, eorum usu sanatos. Ad podagram igitur incipientem, & omnino ad omnes articulares morbos curandos, unicum hoc remedium & edulium constructum esse videtur. Adhortor igitur omnes qui podagra liberari volunt, ut eis utantur cum iudicio, & abstineant à sex rebus non naturalibus, à quibus morbi hi præcipuè incrementum suscipiunt, & in curabiles penè fiunt. Cæterum vix satis dignis verbis assequi queas, quantum diuturnas quartanas, & deliria ex atra bile oborta remorentur. Eneant omne lumbricorum genus. Dentes confricati, hærent firmiter, neque erosionem patiuntur, neque obstupescunt, caput purgant, & oculos minus graues reddunt, & visum acunt. Apparentur autem hoc modo viperæ, oportet magnas accipere, eodemque tempore ferè captas, nec ultra bidduum asservatas, sed si fieri potest eadem qua captæ sunt die, eadem vi-

vas in ollam magnam figularem co-  
 quere oportet, statimque supra ipsas  
 falem communem, lotum & exicca-  
 tum mittere oportet album, Italici  
 modii dimidium, id est, libras viginti  
 immittito, atque id non in meridie,  
 sed mane faciendum: tunc enim vi-  
 gentes adhuc bestix ad motum tar-  
 diores sunt. Quod si fagi etiam arbo-  
 ris ramusculis vivas viperas cedas, ad  
 motum tardiores reddes, & mirabi-  
 lem soporem induces. Cum igitur,  
 ut dictum est, cum salibus viperas  
 gravaberis, pastillos etiam in sales  
 adjicies, hoc modo apparatus: radicis  
 gentianæ sesquilibram, aristolochiæ  
 rotundæ sesquilibram, comæ cen-  
 taureæ minoris libras duas, marru-  
 bii, scordei, apii, chamedrios, 5. ru-  
 ræ hortensis, singulorum libras duas.  
 Hæc omnia in crassas partes contun-  
 dito, & cum Attico melle subacta, in  
 quinque, aut septem pastillos, eo quo  
 dixi modo, laxiores, ut probè exuri  
 possint, reducito. Hos pastillos eo



ET FACULTATIBUS. IOJ  
modo præparatos habens cum sale  
viperas vivas in ollam ad ignem im-  
ponito. Deinde scyllas electas, ma-  
gnitudine sua manus implentes, re-  
centes quinque, in tenues partes di-  
stentas, pastillis super addito, alium-  
que dimidium modium Italicum,  
hoc est, libras viginti salis super scyl-  
las & pastillos injicito, deinde ollam  
cooperculo tria foramina habente  
obturato, eumque forinsecus totam  
luto figulino oblinito, ut si rumpe-  
retur nihil perire possit adhibito &  
oblinito, deinde sensum igitur, ad-  
moveto, paulatimque circumlitura  
lutum, torreto, deinde aucta flamma  
perficulneorum, aut vitis lignorum,  
ollæ subjectorum, exustionem, va-  
porem inde per foramina elatum  
observato, etiam fumum caveto dili-  
genter: venenum enim exhalat po-  
stea vaporem flamma exilis per fora-  
mina exit, tunc optimè affatos puta-  
to, atque ita olla ab igne ablata per  
diem & noctem refrigerata, usta per

HO DE VIPERÆ NATURA

apertam ollam eximito, & tunc sub-  
 scriptis condito; sunt autem hæc:  
 ℞. rutæ sylvestris, hyssopi, an. do-  
 drantem unum, nardi Celticæ, sta-  
 chyos, sem. fœniculi montani, an.  
 sexuncem, Peroselini Macedonici  
 trientem, comæ origani dodran-  
 tem, racem amomi quadrantem, ca-  
 cuminum thymi dodrantem, folio-  
 rum malabatri trientem, bacca-  
 rum juniperi libras duas, seminis co-  
 rriandri, sexuncem, piperis longi li-  
 bras duas, radicis silphii unc. 17. zin-  
 ziberis non corrosi libras duas, semi-  
 nis satyrii, vel radicis, quinquuncem,  
 pulegii montani sexuncem, seminis  
 menthæ sexuncem, vel tantundem  
 menthæ siccæ, tordilii, cassiæ, unius-  
 cujusque quadrantem, fœseli Massi-  
 liensis sexuncem, cinamomi electi  
 unc. i. Maxime autem conandum est,  
 ut crassiora (sunt verò lignosa om-  
 nia) contundendo attenuentur,  
 nec quicquam ex eis rejiciatur. Con-  
 tusa per angustissimum cribum ex-  
 cuti-

ET FACULTATIBUS. III

cutito, ut quàm optime uniantur; atque ita omnia in vitreis vasculis reponito, neque statim utitor, sed post quartum diem; ita enim majorem commoditatem præbent, & extra omnem humiditatem hæc reservato. Cæterorum colore, non valde nigrescit; & eadem in Galeni præparatione iterum præscripsit Aëtius, quam prætereo; & etiam cavendum, ne hos sales prægnantibus exhibeamus, aut lactantibus neque pueris, aut temperamento calidioribus, præsertim, tempore æstivo & regione calida, & qui acuta febre laborant, tantum ab his quoquo modo abstinent. De salibus hucusque multa, de adipe viperino, de aquis, de cineribus hujus differuimus sparsim.

QUOD